

IX. Observatio de Succinea Gleba, Plantæ cujus-dam folio imprægnata, rarissima. Auctore Dno. Johanne Philippo Breynio, M. D. R.S.S.

Intr Corpora Naturalia Succinis à Natura inclusa, illa longe rarissima esse, quæ Vegetabili Regno suam debent originem, confitebitur mecum, opinor, quicunque Naturæ Curiosorum Pinacothecas, inque iis Succineas Gazas, non levem ipsis conciliantes splendorem, accuratius inspexerit, Authoresque de his rebus tractantes diligentius excusserit. Hæc inter autem cæteris Plantarum perfectiorum partes, ut folia, seminum receptacula, flores, si qui invenientur, &c. raritatis palmam præcipiunt.

Hujus rei ratio procul dubio est, quod ex recentiorum mente, Succinorum officina naturalis, loca sint subterranea, quorsum partes Vegetabilium, utpote terræ superficiem inhabitantium, ægre et non nisi casu, eo que rarissimo pertingere possunt; cum Insecta, quamvis etiam in aere viventia, tamen, ut te à frigore, aliisque aeris injuriis defendant, vel alia etiam de causa, sponte sèpius rimas, hiatus et cryptas quærant et subeant subterraneas, & ad sepulchrum properent, ubi à Succino adhuc liquido irretiuntur, involvuntur, suffocantur, cumque eodem in ævum duratura rigescunt.

Eiusmodi glebam, quæ folium hujus notæ in sinu suo lovebat, nuper Mense Octobri præterito mihi exhibuit & examini subjicit meo hic *Gedani* Mercator quidam natione *Britannus*, *Philippus Benlows*, qui eandem,

dem, inter alia Succina na&ctus, maximi, imo pluris quam triginta aureorum æstimabat.

Hæc ovalis ferme, sed compressæ erat figuræ, & magnitudinis, quæ in Icone Fig. 11. adjuncta exprimitur, quam Unciae partem crassitie æquans, illius generis, quod falernum, à similitudine vini, salutatur Succinum, & quidem satis perspicua & pura, neque vel levissima fraudis macula conspurcata. Includebat per totam ejus mediani longitudinem ex porrectum Folium aliquod Botanicis pennatum, quibusdam etiam alatum, quamvis minus recte, dictum; quod eleganti sane spectaculo, obscurum quidem, sed aureo colore coruscans, à reflectione & refractione radiorum luminis, oculis spectantium clare sese offerebat. Folium hoc non integrum, sed utraque extremitate mutilatum erat, ut ipsa indicat figura, quinque constans foliolorum oblongorum, utrinque non nihil acuminatorum paribus s. conjugationibus, quorum quædam erant ex parte exesa et mutila, in costa communis æque fere à se invicem distantibus. Situm erat in plano horizontali, quod in eo foliorum genere familiare est, præterquam, quod foliola obliquitate aliquantulum ab eo defleterent; nequaquam vero conjugationes foliolorum decussatim positæ vel ullo modo videbantur, quod in foliis, quæ conjugata Botanicis dicuntur, semper obtinet; ut adeo folium hoc ex compositorum pennatorum genere esse, nullum mihi amplius restet dubium. Cujus autem exacte Plantæ speciei sit determinare vix licet; quia multæ species hujus familiæ, foliis vestiuntur sibi adeo similibus, ut etiamsi recentia, difficile sit à se invicem distinguere; accedit, quod nec venulæ foliolorum, vel oculis Microscopio armatis appareant, utpote quæ à Succino olim liquido oblitteratae & quasi incrustatae erant. Quam proxime autem accedit ad Securidacæ secundæ, Clusi, s. Corollæ

nillæ herbaceæ, &c. *Tournefortii*, quæ in dumetis *Prussiæ* satis familiaris est. Ab altera parte, inter bina foliola, aranea satis clare conspicitur; ab altera vero parvula musca, sed hæc non nisi oculo lente armato.

Non memini me apud ullum Authorem folii hujusmodi in Succino pennati invenisse mentionem, præterquam apud *Michaëlem Mercatum* in nobili isto opere Metallotheçæ Vaticanæ titulo inscripto, & immortibus Archiatri Pontificii *Johannis Mariæ Lancisi* meritis a situ, oblivione & interitu liberato. Ubi, pag. 89. inter alias elegantium glebarum Ranam, Pisciculum, Lacertulam variaque Insecta continentium Icones, una etiam reperitur, quæ folium ejusmodi pennatum paulo minus, sed ob integratatem rarius & elegantius, octo conjugationum, foliolo extremo impari costam claudente, includit; quod parvum & tenellum Coronillæ herbaceæ, flore vario, *Tournefortii*, folium egregie exprimit, quamvis etiam non male ad Onobrychidem secundam, *Clusi*, quæ pariter *Prussiæ* indigena est, referri posset.

Idem *Mercatus* aliam ibidem delineat glebam parvo in tenuia segmenta dissesto folio, plantæ cujusdam, forte umbelliferæ, imprægnatam.

Interim tamen cum glebas memoratas, in laudato *Mercati* libro saltem, summo licet studio delineatas, non vero ipsas viderim, præterea figuræ Ranæ majoris, Lacertulæ & Pisciculi, non levem mihi artificiosæ fraudis excitent suspicionem, ego equidem pro genuitate earum vadim in me suscipere nollem; quia notum est affatim, Artifices, ejusmodi res adeo artificiose Succinis posse includere, iisque non nimium Curiosis imponere, ut non nisi ab expertissimis & oculatissimis possit detegi fucus.

Fig. 1




Fig. 2

